

Centrale
prolepⁿ
in m.

sumabitur tota hæc species. Vnico tamen illo non ignorato, quòd quan-
docunq; numerus inferior à superiori subtrahi non potest, propter defectū
signorum illius à quo subtractio fieri debet, tūc integra reuolutio, quæ ex
12. signis constat, reuocetur toties, quoties operatio requirit, fiatq; sub-
tractio modo prætacto &c. Cum autem duplatio nihil aliud sit quàm
alicuius numeri bina acceptio. Mediatio etiã alicuius numeri medietatis
inuentio, quæ ex iam habitis speciebus abunde lucescunt, igitur de eis-
dem specialior operatio hic non expectatur.

De Multiplicatione.

Multiplicare deniq; minutias quascunq; per alias, in proposito ni-
hil aliud est, quàm quatuor constituere numeros proportionales.
Quorum primus in physicis est integrum, uel integra puta gradus, secū-
dus multiplicans, tertius multiplicandus, quartus uero proueniens ex dur-
ctu unius per alium, producti nomen sibi uendicat. In quacunq; etenim
proportione habet se integrum ad multiplicantem, in eadē & multipli-
candus ad illud quod excrefcit. Verbi gratia, sicut unus gradus habet se ad
6. minuta multiplicantis in decupla proportione, ita triginta minuta mul-
tiplicandi ad tria minuta producti in eadem decupla proportione. Et sci-
as hoc generale totius operationis, quòd ex tali ductura unius per aliam
minutiam semper productum in subtiliori denominatione proueniet.

Regulæ Multiplicationis.

Sequentibus igitur regulis tota multiplicatio prout nostro sufficit pro-
posito perficitur. Prima, si gradus fuerint multiplicati per gradus,
gradus cum signis produci uiderentur, si numerus producti ad hoc suffice-
ret. Secunda, si minutiam quancunq; multiplicaueris per gradus, hæc
ipsa minutia proueniet cum grossioris denominationis minutia immedia-
te sequentis, ut multiplicando gradus per minuta, prouenient minuta cum
gradibus. Si gradus per secunda multiplicaueris, secunda cum minutis
produces. Si gradus per tertia multiplicentur, tertia ipsa cum secundis p-
dibunt &c. Tertia, quandocunq; minutiam unam multiples per al-
teram, proueniet minutia denominata à numero quem denominatores
multiplicantis & multiplicandi simul additi constituunt. Verbi gratia.
Minuta per minuta ducta, secūda producunt. Si ergo denominatores isto-
rum inuicem addiderimus, scilicet, minutum ad minutum, duo congrega-
bimus, & sic constituitur denominator producti puta secundum. In tem-
poris uero multiplicatione eisdem utimur regulis, non aliter quàm in mo-
tu. scilicet, si multiplicas horas per horas, horæ consurgunt. Si minutiam
quancunq; per horas, aut è conuerso horas per minutiam, hæc ipsa pro-
uenit minutia. Sic quoq; minutia temporis per minutiam eiusdem multi-
plicata

Regula de
prolepⁿ
omnis ten
minis

Regula
de hinc
per